

De 1713





A D
NOVI PRORECTORIS
IN
ACADEMIA MARBURGENSI
INAUGURATIONEM

IPSIS CALENDIS JANVARII ANNO CCCCCVIII

C E L E B R A N D A M

I N V I T A T

GVLIELMVS MVENSCHER,

ACADEMIAE EXPRORECTOR.

*Praemittitur de Ecclesiae reformatae in Hassia ortu
brevis narratio.*

M A R B U R G I ,

T Y P I S K R I E G E R I A C A D E M I A E T Y P O G R A P H I .



Hassiam in iis fuisse Germaniae regionibus, quae primae sacrorum emendationem a Luthero coeptam amplectentur, eiusque Principem Philippum Magnanimum tuendae ac stabiliendae novae religionis formulae studium acerrimum, quin ipsam vitam di- casse, nemo est qui ignoret. Neque tamen ipsa repurgatae in Hassia doctrinae Christianae Historia ita est illustrata atque exposita, ut ad eam cognoscendam facilis pateat aditus. Quae enim rei sacrae mutationem secuta sunt Protestantium dissidia, aemulatio et invidia, effecerunt, ut, qui de rebus Hassiacis scriberent, partium studio abrepti exornandae causae suae res gestas accommodarent 1). Non igi-

1) Antiqua Cattorum fides. Cassellis 1606. 4. *Helvici Garthii* historischer Bericht von dem Religionswesen in Hessen. Vitembergae 1604. 4. Antiqua Hessorum fides, das ist historischer Bericht vom alten und wahren christlichen Glauben oder Religion der Hessen von Henrico Lenchtero. Darmst. 1607. — Wechselschriften zwischen Wilhelm Landgrafen zu Hessen Casselischer Linien, und Georg, Philipp und Friedrich Darmstädtischer Linien, darin gehandelt wird, was vor einer Religion von Landgraf Philipp dem älteren eingeführt

tur abs re esse visum est, rationem, qua Ecclesia reformata in Hassia orta et constituta sit, hac occasione oblata breviter et candide narrare, cum uberior istius rei expositio fines, quibus eiusmodi opusculum circumscribitur, excedat.

Lutherus dominatum Pontificis Romani ecclesiaeque deformatam conditionem fortiter impugnans, *Philippi Magnanimi* admirationem excitavit, eiusque assensum facile sibi conciliavit. Neque tamen princeps sapientissimus de rebus Hassiae ecclesiasticis suotantum arbitrio statuere voluit, sed vocatis in consilium ordinibus provincialibus Synodum Hombergae anno 1526 instituit, in qua novae et antiquae fidei formulae defensores de religione disputarent 2). Cuius colloquii is exitus fuit, ut doctrina et ritibus Pontificiis per Hassiam abrogatis, tota ecclesiae ratio ad normam reformationis exprimeretur 3). Quo facto

und darin erhalten. Cassel 1631 f. Gründliche Ausführung wider das zu Cassel gedruckte Buch Wechselschriften. Marb. 1636. f. Nothwendige und ausführliche Special-Widerlegung der Wechsel-schriften. Giessen. 1647 f.

- 2) Nachrichten von der Synode zu Homberg in Hessen in Bezug auf die Reformation in Hessen von I. Christian Martin. Cassel 1804. 8.
- 3) Formulam reformationis in Synodo Hombergensi descriptam exhibent Schminckii monumenta Hassiaca tom. II. p. 583 — 656. Memoratu eam esse dignissimam docuit Puetterus: Erörterungen und Bey-



reditus coenobiorum suppressorum tum Academiae Marburgi recenter fundatae tum pauperibus et aegrotis alendis impensi sunt.

Exarserat iam, cum *Philippus* sacrarum rerum emendationem susciperet, inter auctores et fautores reformationis Saxonicae et Helveticae infaustum de sacra coena bellum. *Lutherus* et *Zwinglius* in reiiciendo dogmate Pontificio de transsubstantiatione uti vocant, plane consentientes, de natura et indole sacrae coenae inter se dissidebant. Ille coniunctum esse cum pane et vino verum corpus et verum sanguinem Jesu Christi aiebat, eaque ab omnibus vescientibus ore comedti. Hic vero solam spiritualem corporis et sanguinis Christi manducationem, quae per fidem fieret, profitebatur. Certamen acerrimum hac opinio-
num diversitate excitatum 4), magnopere Philippo displicuit, quo nemo impensius in eo sedando labaret. Illo igitur tempore, quo animi maxime exasperati erant ipseque *Melanchthon* a detestandis

spiele des teutschen Staats- und Fürsten-Rechts, 2 Bandes 3. 4.
Heft. Gött. 1794.

- 4) Historiam controversiae sacramentariae hominum diversis studiis et cupiditatibus toties obscuratam eo quo solet candore exposuit Ven. Planckius in opere praestantissimo: Geschichte der Entstehung, der Veränderungen und der Bildung unsers protestantischen Lehrbegriffs

Zwinglianis prope aberat, princeps noster, quae eius erat ingenii acies, probe animadverterat, haud magni momenti esse hanc disceptationem, neque debere eos, qui de summa rerum optime consentirent, ob levibus quasdam dissensiones seiungi, ne adversariis communibus latus apertum preeberent. Ita *Philippus Lutherum* amplecti, revereri, simulque *Zwinglium* 5) magni facere, pacemque inter utrumque exoptare et iuvare non destitit. Cuius rei insigne documentum exstat colloquium inter *Lutherum* et *Zwinglium* anno 1529 Marburgi institutum, in quo conciliatio duorum magnorum virorum omni studio tentata est, etsi exitus rei votis Philippi non responderet 6). Neque post hoc colloquium Landgravius, quae animo inse- derat, sententiam abiecit. Cum *Luthero* et ecclesia Saxonica coniunctissimus, et *Zwinglio* amicissime scrip-

5) *Hottingerus* (histor. eccles. t. VI. p. 504) affert fragmentum epistola ad *Zwinglium* a *Ioanne Frumentario* Marburgi anno 1527 scriptae: „Nec hoc te latere volui, Principem et Dominum meum a suis aequalibus inter iocandum Zwinglianum, te vero eius terrenum idolum vocari.“

6) Colloquii huius acta collecta sunt tum in operibus *Lutheri* tom. XVII, p. 252. seq. (ed. Hal.) tum in *Hospinianni* Historia sacramentaria t. II, p. 119. et *Fueslins* Beyträgen zur Kirchen-Reformationsgeschichte des Schweizerlandes, 3. Bd. S. 310. cf. *Riederers* Nachrichten zur Kirchen-Gelehrten- und Büchergeschichte, 2 Bd. S. 107. 210. 346. 4 B. S. 414.

sit, totusque in eo fuit, ut Germaniae superioris urbes, quae *Zwinglii* doctrinam amplexae erant, in commune Protestantium foedus reciperentur. Ipse in terra sua Theologos habebat, qui tum cum *Luthero* tum cum *Zwinglio* sentirent, in quibus *Adamus Crato* et *Erhardus Schnepfius* a partibus Saxonum stabant, *Franciscus* vero *Lambertus* ad *Helvetiorum* placita accesserat 7). Quos etsi in diversa abeuntes pari gratia complexus est 8), constituitque, teste *Lamberto*, ut non *Adami* (*Cratonis*) sed Academiae iudicio praeſciantur ecclesiis, qui apti fuerint, vetuit autem, ne ullus omnino repellatur a sancto ministerio propterea, quod in negotio coenae dominicae cum *Luthero* minime sentiat 9).

In comitiis Augstanis anno 1530 habitis, quae insignem in annalibus reformationis sibi vindicant lo-

7) Ita sensisse *Lambertum* negarunt quidem Darmstadini (Nothwendige ausführliche Special-Widerlegung p. 266 — 270), verum falli eos docent loca ab illustri *Strieder* (Grundlage einer hessischen Lehrten- und Schrifsteller-Geschichte tom 7. p. 387) collecta, neque non ipsa *Lamberti* epistola ad *Martinum Bucerum* in *Fuesslini* centuria 1 epistolarum ab ecclesiae Helveticae reformatoribus p. 70. seq.

8) Propensior tamen Landgravius in sententiam *Zwinglii* videbatur, etsi locus 1 Cor. XI, 29 scrupulum ei iniiceret. Ita narrat *Ybachius* Pastor Marburgensis apud *Hottingerum* hist. eccl. t. VI. p. 508, 509.

9) *Lamberti* ep. apud *Fueslinum* I. c. p. 71.

cum, enituit Landgravii constantia atque studium tum in tuenda communi Protestantium causa, tum in componenda inter ipsos Protestantes pace. Cum enim plurimi Theologorum et Principum *Lutheranae* formulae addictorum ad damnados *Zwingianos* essent proclives, *Philippus* horum causam tanto ardore suscepit, ut ipse *Zwingianus* videretur 10). Summo certe studio laboravit, ne Protestantium res internis et domesticis litibus divellerentur, urbesque superioris Germaniae a societate confessionis Imperatori exhibendae

- 10) *Urbanus Reginus* in literis ad *Lutherum* Augustae datis: „Hassiae princeps nuper me ad prandium vocavit, adolescens vehementi ingenio et scripturae sanctae supra huius fortunae rationem studiosus, quocum de universa evangelii causa diu multumque disceptavi, duas vero horas de Eucharistia. Adducebat princeps ille innumera Sacramentiorum argumenta, quorum dilutionem a me audire voluit, et gratia Dei praestante de ea re disserui, ut mihi eius mentem intelligere haud fuerit difficile. Nam sentit cum *Zwinglio*, ut ipse mihi fassus est, votis tamen ardentissimis exoptat doctorum suorum concordiam.“ In den unschuldigen Nachrichten von 1745 p. 950. *Melanchthon* ad *Lutherum*: „Hessi Cancellarius *Ficulus* — affirmavit suum Principem in itinere esse. Venit una *Sneppius* vir optimus tuique amantissimus, qui nobis aliquam spem ostendit, principem suum posse in officio contineri, quanquam non dissimulet magnum esse periculum. Narrat quantam dimicationem sustineat cum illo περὶ δειπνου κυριακού Epp. *Melancthonis* l. 1. editus a *Casp. Pencero.* p. 5.



bendae repellerentur. Quae cum obtinere non potuisset; Confessioni Augustanae subscripsit, semper tamen in iis fuit, qui mitiora sequerentur consilia, et unitatem Protestantum ob inanes de rebus exiguis controversias non disrumpendam esse censerent, ne adversariis facilis victoria paeberetur.

Cum in hac Landgravius esset sententia, vel post comitia Augustana novas vias quaerere perrexit, quibus de sacra coena controversiam extingueret, *Bucerumque* aliosque Argentoratenses, qui idem expetebant, omni virium contentione adiuvit 11). Ita tandem effectum est, ut Wittenbergae anno 1536 inter *Lutherum* et *Martinum Bucerum* de concordia conveniret, cuius conditiones ad *Lutheri* quidem mentem descriptae, deinde vero a *Bucero* haud improbante *Luthero* ita explicatae sunt, ut Theologi Helvetici ad eas salva sua sententia accedere non dubitarent 12). *Philippo* nemo magis ea concordia laetabatur, qua omnem de coena domini item consopibatur,

11) Quae fuerit in hac concordia stabilienda *Philippi* opera docent epistolae in *Kuchenbeckeri analectis Hass. coll. X.* p. 412 — 426.

12) Veram concordiae Wittenbergensis rationem Ven. *Planckius* illustravit in opere iam laudato: *Geschichte des protestantischen Lehrbegriffs* tom. II. p. 376 seqq. nec non in alio libro: *Ueber die Trennung und Wiedervereinigung der getrennten christlichen Hauptparteien*. Tub. 1803. p. 123.

B

tam esse opinabatur 13), idque in votis maxime habebat, ut illa sancta et illaesa conservaretur. Quam ob rem et Theologos Marburgenses serio admonuit, ne ab illa norma in docendo discederent 14), eorumque conatus, qui tum a Lutheranorum tum a Zwinglianorum partibus renovandae controversiae studerent, acriter improbavit 15), ideoque aegerrime tulit, cum *Lutherus* paucis ante obitum annis vehementius iterum in *Helvetios* invectus esset 16).

Secutum est bellum ab Electore Saxoniae et Landgravio Hassiae aliisque foederis Smalcaldici sociis contra *Carolum V* Imperatorem gestum, quo uterque Protestantium dux in *Caroli* potestatem devinit, totaque eorum causa ab interitu prope abesse videbatur. *Philippus* in Belgium perductus, carceris pertaesus, postquam fugae vias frustra tentaverat, tandem formulae Imperatoris iussu editae, του Interim nomine famosae, assensum praebere permotus legemque de ea observanda in Hassia promulgavit 17).

13) Sleidan, l. XVIII. Vol. II. p. 450. ed. Am Ende.

14) Kuchenbecker anal. coll. X. p. 426.

15) ep. ad. Tammerum ib. p. 432.

16) ibid. Collect. XII. p. 422 — 428.

17) Sammlung der Hessischen Landesordnungen. 1 Th. S. 149. sqq.

Verum Pastores et Ecclesiae palam obluctabantur 18) et paullo post *Mauritii* novi Saxoniae Electoris calidis consiliis et promta expeditione tum *Philippus* Landgravius tum Ecclesia Hassiaca libertatem recuperarunt.

Philippus patriae redditus eandem, quam antea inierat, viam concordiae stabiendiæ constanter persecutus est. *Luthero* mortuo Ecclesia evangelica vehementissimis turbis et litibus agitari cooperat. In *Philipum Melanchthonem*, virum eruditione, probitate et meritis venerabilem, acerrimo fervore impetus factus ab iis, qui *Lutheri* vestigia et verba ubique prementes genuini Lutherani soli haberi volebant. Ii nullam moderationem admittere, neminem nisi perfecte secum consentientem ferre, quemlibet, qui pacem suaderet, ceu proditorem verae doctrinae, suspicionibus et convitiis obruere. Ii contra Sacramentiorum errores intemperanter declamare, Confessionis Augustanae variatae crimen, quo Zwinglianis effugium quaeri soleat, urgere, *Lutheri* sententiam de

18) Electore Moguntino Hassos scripto invitante, ut matrimonio clericorum aliosque novis ritibus abrogatis Pontificis Romani auctoritatem agnoscerent, Pastores Hassiaci ei responderunt: Antwort der Prädicanten in Hessen auf die Schrift des Bischoffs zu Mänz, oder Rabsakes Brief etc. Magdeb. 1649. 4.

praesentia corporis Christi in cum et sub pane et de manducatione orali toti ecclesiae obtrudere. Hi tandem in disputatione de persona Christi genio indulgere, opinionemque de omnipraesentia Christi hominis, quam *Lutherus* non nisi leviter attigerat, quam vero *Ioanne Brentio* auctore ecclesia Wuertenbergensis receperat, subtiliter exponere, eam ceu firmissimum contra Sacramentarios praesidium columenque verae de sacra coena sententiae commendare et inculcare, omnesque, qui eam reiicerent, corruptae religionis arguere et ut periculosos veritatis adversarios detestari. Ex altera parte *Calvinus* cum aliis quam dederat *Lutherus* sacrae coenae explicationem aperte improbare, veram quidem praesentiam corporis Christi in sacramento affirmare, eam tamen ita explicare, ut non ore sed fide, non ab omnibus sed tantum a fidelibus corpus Christi accipiatur, pluresque, exempli gratia Electorem et ecclesiam Palatinam, in suas partes pertrahere. Hi quoque horrendo uti vocabant ubiquitatis dogmati omnium virium contentionе reclamare, idque haud in ecclesia Christiana ferendum esse dicitare.

Ita animis invidia exasperatis et ad controversiarum acrimoniam concitatis, *Philippus Landgravius* summa cura cavit, ne litigantium aestus suas eccl-



sias invaderet, earumque tranquillitatem turbaret. *Melanchthonem* semper maximi fecit, eum in amicis habuit, eiusque consiliis usus est. Quod a rigidioribus Lutheranis urgeri cooperat discrimen inter Confessionem Augustanam invariata et variata nunquam nostro Principi aliquantuli momenti esse videbatur, utramque potius confessionis editionem pari studio amplectebatur. Conventui principum, qui ad reprimendas Theologorum lites Francofurti anno 1558 institutus erat, interfuit, formulamque a *Melanchthonem* satis moderate scriptam approbavit 19). Pariter in iis principibus fuit, qui Numburgi anno 1561 Augustanae confessioni ita subscriberent, ut variata ab invariata re ipsa non differre iudicarent, damnationemque *Calvinianorum* a *Ioanne Friderico Saxoniae Duce* flagitatem reiicerent 20), quae decreta *Philippus* deinde a suis Theologis approbari curavit 21). Praeterea *Ioannem a Lasco* a Lutheranis rigidioribus male habitum et exagatum benigne exceptit et adiuvit. Theologos habuit tum eos, qui Calvinianae de coena

19) *Garthii historischer Bericht* p. 36. seqq. *Leuchteri antiqua Hessorum fides* p. 129. ff. *Planck Geschichte des protest. Lehrbegriffs.* 6. Bd. p. 174.

20) *Planck I. c. p. 213. seqq.*

21) *Leuchter* p. 155.



sacra doctrinae faverent, ut *Gerhardum Noviomagum*, *Andream Hyperium*, praestantissimum virum et *Wiegandum Orthium*, tum eos, qui Lutheri formulis addicti essent, ut *Adamum Cratonem* et *Ioannem Draconitem*.

Ex his omnibus, quis fuerit Landgravii animus et quam secutus sit agendi normam in controversia eucharistica aliisque, quibus ecclesia evangelica infestabatur, litibus facile appetet. Confessioni Augustanae firmiter adhaerens neque Lutheranorum rigidiorum neque Calvinianorum dogmatibus singularibus accedere suaequae ditionis Theologos adstringi volebat, ita ut potius omnes in formula generali Confessionis Augustanae, et Apologiae subsisterent, uni cuique libertate sentiendi reicta, modo nil faceret quo quies publica turbaretur. Cum igitur *Ioannes Pincierus* Pastor Wetteranus libro 1561 edito in sententiam *Lutheri* de coena intemperantius invectus et ultra terminos Concordiae Witenbergensis evagatus esset, a Principe admonitus est, ut moderatione uteretur 22) similisque admonitio *Gerhardo Noviomago* impertita est 23). Ex altera parte Philippus legatis ad comitia Ratisbonensia, missis ubi de Electore Palatino

22) *Garthii* historischer Bericht. p. 77.

23) *Leuchteri* Hessorum fides p. 162. Wechselschriften p. 262.

a pace religiosa excludendo agebatur, graviter mandavit, ut *Calvinianorum* condemnationem omnibus modis et studiis impedirent 24). Praeterea disputationes illas subtiles de Christi persona sibi minus placere haud obscure significavit 25). Quam moderationem principis imitati Theologi Hassiaci in sententia, quae ipsis de Wuertenbergensium et Palatinorum altercationibus erat ferenda, satis habuerunt veram praesentiam Christi in coena profiteri, et personae eius maiestatem et omnipraesentiam defendere, neque tamen singularibus horum illorumque opinionibus assensum praebuerunt, ab omniique damnatione aliter sentientium religiose abstinuerunt 26). *Philippus* igitur cum ecclesia Hassiaca medium quamdam inter eos, qui tanta acrimonia de sacra coena et de persona Christi decertarunt, viam ingressus est in eaque, etsi iis qui ab utraque parte fervidioris essent ingenii, minus probaretur, constanter persistit. Quod maxime ex testamento ab ipso condito patet, quo praemissa ad filios adhortatione, ne a vera religione et confessione Augustana avelli se patiantur, quod ad concertationem de coena Domini atti-

24) Wechselschriften p. 252. 253.

25) Leuchter p. 152.

26) Garthe Bericht p. 51. seqq. Leuchter p. 190 seqq.

net, addit, illos Pastores, qui concordiae *Buceri* opera constitutae adhaerentes confessuri sint, in s. coena vere esse corpus et sanguinem Iesu Christi, neque munere pellendos neque ulterius urgendos esse 27).

Philippo magnanimo anno 1567 vita defuncto, quatuor filii, *Guilielmus*, *Ludovicus*, *Philippus* et *Georgius* provincias Hassiacas ad normam testamenti paterni inter se partiti sunt. Animorum acerbitas inter Theologos evangelicos tum temporis in diem crescebat, ardoreque controversiarum magis magisque accendebat. Quicunque moderationem suaderent, suspecti habiti, Vitembergenses *Melanchthonis* discipuli undequaque omni vi petiti, tandemque ab Electore muneribus deiecti terraque pulsi sunt. Dogma de omnipraesentia Christi summo studio propagatum, universaeque Ecclesiae commendatum est. *Guilielmus* literarum amore conspicuus et ipse multifario scientiarum apparatu ornatus, in gubernanda

27) „Nachdem ein Zwiespalt des Sacraments und des Abendmahls des Herrn halben unter den Predigern ist, welche Prediger nun bey der Concordie, welche *Bucer* seliger zwischen den Lutherischen und Oberländern hievor gemacht, bleiben und bekennen, dass im Abendmahl wahrhaftig der Leib und das Blut Christi gegeben und genossen werde, sollen sie in keinem Wege verjagen oder in sie dringen.“ *Schminckii monum. t. IV. p. 587.*

bernanda re ecclesiastica patris vestigia premens, ne ex illis turbis detrimentum caperet Hassia sapienter providit. Conatus eorum, qui novas opiniones in medium proferebant, eas toti ecclesiae legum instar imposituri, maxime improbabat, neque Cryptocalvinismi eo odio, quod multos alias occupaverat, tenebatur. Imo *Casparum Crucigerum* ob Cryptocalvinismi crimen Saxonia electum, Pastorem Cassellatum nominavit, ecclesiisque inferioris Hassiae praefecit, filiumque *Mauritium* erudiendum ei tradidit. Eundem Professorem Theologiae in Academia Marburgensi constituisset, nisi *Ludovicus* frater se id nunquam permissurum testatus esset 28). Is enim, connubio cum domo Wuertembergensi coniunctus et Theologis Wuertembergensibus favens, iis qui Calviniani dogmatis invidia premebantur infestior, proriorque ad suscipiendam novam confessionem erat, qua ecclesiam ab omni Calviniani erroris contagione tueretur. Mutuus tamen, quo fratres sese amplectabantur amor, ne opinionum diversitas in apertum dissidium abiret, impedivit 29).

Tranquillitati tamen, qua ecclesia Hassiaca huc usque gavisa erat, inde ab eo tempore grave immi-

28) *Strieder hessische Gelehrten-Geschichte* 2 B. S. 452.

29) Id testantur epistolae, quas exhibet *Leuchterus* p. 242. 250. 251.

nebat periculum, quo *Aegidius Hunnius* locum inter Theologos Marburgenses obtinuit 30). Erat is vir sane doctus et in disputando exercitatus, verum formulis doctrinae *Brentianaæ* innutritus, in controversiis asper et cedere nescius. Hic primus in Hassia disputationem de omnipraesentia corporis Christi movere, qui aliter sentirent perstringere et *Calvinismi* reos agere itaque turbas ciere. *Casparum Crucigerum* 31), *Ioannem Pincierum* 32) et *Georgium Sohnium* 33) impugnare, defectionis a vera fide arguere, discipulos contra dissentientes concitare, eoque modo efficere, ut Hassiae ecclesia in partes disiungeretur.

Ceperat eo tempore *Iacobus Andreæ*, Theologus Tübinger, consilium, Ecclesiae in Germania evangelicae tot altercationibus laceratae pacem restituendi, omnemque industriam et dexteritatem ei prosequendo impendit. Ipse *Guilielmus* cum initio

30) Vocatus erat primo, cum locus inter Theologos Marburgenses *Henrici Vietoris* morte vacaret, *Davides Chytraeus*, eoque vocacionem detrectante *Heerbrandus*, quo commendante *Hunnius* nominatus est. *Strieder Gelehrten-Geschichte* 6 B. S. 243.

31) *Guilielmi IV ep. in Tilemanni a Schenck vitis Professorum Theologiae Marburgensium* p. 156.

32) *Pincieri ep. in Kuchenbecker anal. coll. VIII. p. 443 sqq.*

33) *Strieder Gelehrten-Geschichte.* XV B. S. 108.

id probasset, ubi perspexit, totam rem eo spectare, ut ex mente Wuertembergensium nova formula conscriberetur, ad quam amplectendam omnes adigerentur, damnatis qui aliter sentirent et ab ecclesia Lutherana segregatis, summo studio obstitit, ne in ecclesiae detrimentum *Andreae* et sociorum auctoritas valeret. Improbavit ideo librum Torgaviensem, consentientesque habuit suae ditionis *Theologos*, qui eo in scripto moderationem in eis quae ad religionem pertinerent, adeo necessariam desiderantes, praeterea *Lutheri* scripta sine discriminе ceu normam verae doctrinae commendari, *Melanchthonis* vero libros auctoritate privari nec non inique urgeri diversitatem inter variatam invariataisque Augstanam confessionem aegre ferentes, dogma de natura Christi humana ubique praesente profiteri noluerunt 34). Quamvis in hoc iudicio Hassiaci modestiae fines non excessissent, eaque quae displicerent non nisi leniter attigissent, *Iacobus* tamen *Andreae* eiusque socii ea iudicandi libertate vehementer offensi ita responderunt, ut Hassos purae doctrinae valedixisse et in Sacramentiorum castra transiisse haud obscure significant. Quae res Hassiacos movit, ut responsione edita, cui tamen complures superioris Hassiae

34) Planck Geschichte des prot. Lehrbegriffs VI B. S. 475.

Theologi subscribere noluerunt, ideo a *Guilielmo* reprehensi, fortius dogma de ubiquitate ut vocant corporis Christi impugnarent, ipseque princeps de modo, quo totum concordiae opus tractatum sit, graviter quereretur 35).

Illi vero, qui novam credendi docendique normam, qua omnis sententiarum diversitas tolleretur, constituere cupiebant, nec monendo retineri, nec reprehensionibus et querimoniis deterreri potuerunt, quo minus in opere coepto strenue pergerent. Composuit igitur *Iacobus Andreae* cum *Martino Chemnitio* et nonnullis aliis Theologis formulam quae etsi concordiae nomen prae se ferret, discordiam tamen maximam excitavit. Quia cum principibus et ecclesijs Germaniae eum in finem communicata, ut eorum subscriptione ornata et confirmata prodiret, multi fuere, qui eam vehementer impugnarent, in quibus etiam *Guilielmus Landgravius*. *Iacobi* enim *Andreae* neque argumentis neque persuasionibus adduci poterat, ut formulam probaret, imo quidquid suadendo et hortando valeret, annisus est, ne formula ab aliis reciperetur, quantumque ab ea abhorreret tum seriis tum ludicris sermonibus satis ostendit.

35) Planck l. c. p. 531-533 cf. *Guilielmi* ep. in Kuchenbeckeri anal. coll. IV p. 462-463.



dit 37). Aliter *Ludovicus de concordiae formula iudicabat*, eam *Hunnio* auctore 38) verae doctrinae consentaneam et ad reprimendos Calvinianos aptam esse censens. Inde dissidiorum, quae Hassiam turbarunt initium. In synodo enim generali Treysae anno 1577 habita de concordiae formula orta est disceptatio, Theologis superioris Hassiae eam probantibus, iis vero ex Hassia inferiori reiicientibus. Cum dissidiis tempus tereretur, nihilque disputando efficeretur, tandem aegre impetratum est, ut omnes de decreto convenirent, qua sanciebatur: Etsi suffragia non prorsus conspirent, totam de persona Christi disputationem esse suspendendam, donec in Synodo generali vel alio quodam legitimo modo com-

37) *Guilielmi ep. ad Electorem Saxoniae in Hospiniani Concordia discorde p. 97 ei. epp. ad Hotomannum in epp. Hotomannorum p. 121.*
157. 162. Ei. ep. ad Coelestinum in Strobel Beyträgen zur Literatur des 16 Jahrhunderts 2 Bd. 1 St. p. 156. 157.

38) *Iustus Reuberus in epistola ad Franc. Hotomannum: „Marburgi locum habere non potes propter religionem. Dominatur in ea universitate *Ludovicus Landgravius Ubiquitarius* summus talis factus a dominante coniuge, quae ab *Hunnio* pessimo nebulone regitur. Neque obstat, quod ea universitas omnium fratrum sit communis. Nam *Ludovicus* praesens cum sit, multo plus potest quam *Wilhelmus* absens, ut interim taceam *Wilhelmum Landgravium* multa indulgere *Ludovico*, ne ipsum offendat et spe opimae fraternae haereditatis excidat.” Hotomannorum epp. p. 191.*

ponatur, quo usque concordiam servandam, a phrasibus insolitis tum in ecclesiis docendis tum in iuventute instituenda abstinendum, doctrinam de Christo ad normam sacri codicis et quatuor conciliorum oecumenicorum, uti ante quam haec controversia orta sit tradendam, neque de communicatione proprietatum in abstracto (ut in scholis dici solet) sed tantum in concreto disserendum esse 39). *Hunnius*, ad conventum non admissus decreto subscribere noluit, quo suam in defendenda veritate libertatem arctioribus vinculis constringi putaret, neque a *Ludovico* principe ab hac sententia dimoveri potuit 40). Nova Synodo anno 1578 Marburgi celebrata decreatum Treysanum post multas concertationes repetitum et confirmatum est 41), refragante tamen solo eodem *Hunnio* 42), quam eius detrectationem *Guilielmus* quidem tulit molestissime *Ludovicus* vero excusavit et tutatus est 43). Pari eventu anno 1579 Synodo Cassellis habita sancitum est, concordiam, quae huc usque obtinuerit, illaesam conservandam,

39) *Leuchter* p. 239. *Garthius* p. 148.

40) *Leuchter* p. 241 qui memorat, *Hunnius* a Synodo *Guilielmi* consilio fuisse exclusum.

41) *Garthius* p. 166.

42) Ib. p. 180-232. *Leuchter* p. 246. 252.

43) Ib. p. 232-252.

decretis Treisae et Marburgi editis standum, summaque modestia, quae lites parere possint esse vietanda 44).

Theologi suspicionibus mutuis et criminationibus indulgentes, tolerandis adversariorum opinionibus se veram doctrinam prodituros putabant, neque non ut, quaelibet pars alteram ad suam sententiam pertrahere speraverat, ita cum hanc spem irritam esse cerneret, vehementius irritabantur. Hassiae in primis superioris Theologi, instigante *Hunnio*, se decretis priorum Synodorum amplius obligari negarunt, quod eis controversia de persona Christi silentio imposito suppressa, via ad eam rite iudicandam paeclusa sit. Neque non de formula concordiae acriter disceptatum est. Quo factum, ut variis ad pacem componendam consiliis frustra tentatis, utriusque provinciae Theologi nullo condito decreto discederent, posteaque ipsi principes *Guilielmus* et *Ludovicus* de capitibus controversis per literas disputarent 45). Cum tamen uterque princeps Hassiacam ecclesiam in partes divelli nollet, nova ad conciliandos animos Synodus Cassellis anno 1580 est instituta, in qua haec formula edita est: Etsi in ca-

44) *Garthius* p. 255.

45) *Leuchter* p. 258 sq. *Garthius* p. 257.

pite de persona Christi quaedam concertatio coorta est, omnes tamen fraterne consensisse, de ea re secundum scripta prophetica et apostolica, decreta trium conciliorum primariorum, epistolam Leonii ad Flavianum, Confessionem Augustanam eiusque Apologiam et articulos Smalcaldicos, se credituros et docturos, in explicando illo sublimi mysterio non nisi phrasibus in istis libris obviis usuros, quaestiones vero subtile, formulasque loquendi novas et altercationes parituras, vitaturos, denique concordiae, quae sub defuncto Principe obtainuerit, operam omnes datus, ita tamen ut nemini, cuius de sacra coena confessio exigatur, eius exhibenda adimeretur libertas 45). Quae formula Synodo Marburgensi anno 1582 confirmata et ab ipsis superioris Hassiae Theologis subscriptione approbata, Hunnia tamen non satisfecit, dolos ea quaeri ab adversariis causanti 46). Inde ab eo tempore Hassiae inferioris ecclesia ab ea superioris Hassiae sciuncta est, Synodis communibus, quae coniunctionis vinculum fuerant, cessantibus, cum eis potius discordiam aliquam pacem confirmari appareret.

Quae dum agebantur *Guilielmus IV* constanter

45) Leuchter p. 273. Garthius p. 264.

46) Garthius p. 270.

concordiae formulam reiicere, neque sine acrimonia de iis, qui omnipraesentiam corporis Christi tuerentur iudicare 47), *Philippi Melanchthonis* memoriam sancte colere, calumnias in eum prolatas aegre ferre 48), Theologos Helveticos magni facere, eorum libros coëmtere 49), commercium literarum cum eis habere, neque tamen in doctrina publica et ritibus suae provinciae aliquid mutare. Superintendentibus inferioris Hassiae querentibus, *Hunnius* in profitenda atque scriptis commendanda ubiquitate ut vocant, pergere, principisque medelam implorantibus 50), hic, cui Academiae Marburgensis cura cum Ludovico fratre communis erat, primum Doctoribus Theologiae creandis, ne *Hunnius* suis opinionibus eos adstringeret, novam iurisiurandi formulam praescripsit 51), deinde, ut *Hunnius* ab Academia remo-

47) *Hotomannorum* epp. p. 162 cf. principis ep. in *Strieder* Gelehrten-Geschichte. Tom. 2. p. 452.

48) *Hartmann* Historia Hassiaca tom. II. p. 113.

49) *Hotomannorum* epp. p. 121, 137.

50) *Kuchenbecker* anal. Hass. coll. IV p. 469.

51) *Tilemanni dicti Schenck* vitae Professorum Theologiae Marburgensium p. 125. Summa iurisiurandi haec erat: Ad articulum de coena Domini, qui hisce temporibus tantopere nec absque scandalo et dilaceratione Ecclesiarum agitur, quod attinet, sancte promittetis, quod phrasibus sacrae Scripturae, Confessioni Augustanae, Apolo-

D

veretur, a fratre postulare non destitit, qui aliquamdiu obluctatus tandem ea conditione consensit, ut in *Hunnii* locum *Ioannes Winkelmannus* succederet, quo impetrato *Hunnius* anno 1592 dimissus est 52).

Brevi postea tempore *Guilielmo IV* vita defuncto, *Mauritius* filius Hassiam inferiorem regendam suscepit, princeps ob insignem literarum amorem et praeclaram eruditionem pluribus scriptis comprobatam celeberrimus, animi vero indole patris dissimilis. Hic enim summa semper cura circumspicere, ne offensioni et turbis locum daret, ab omni vi in rebus ecclesiastibus adhibenda abhorrere, inter eos qui formulae concordiae et qui *Calviniana* sententiae addicti essent, medias partes tenere pacisque inter utrosque restituendae vias aperire. *Mauritius* quae vera esse sibi persuasisset fortiter propugnare, omnia tentare, ut nemo non ad eandem sententiam adduceretur, Principisque Christiani ducere, ut, quos

giae et Concordiae anno 1536 inter Saxonicos et superioris Hassiae Theologos initiae consentaneis pure et simpliciter insistentes, nullius qui in illa conciliatione acquiescat, conscientiam curiosis et sophisticis quaestionibus et argutiis ulterius perturbatur seu ad alias phrases approbandas compulsuri sitis, sed cum his qui concordiam supra dictam recipient in hoc articulo pacem et tranquillitatem Ecclesiae alere et fovere velitis.

52) Epistolas principum de ea re exhibet *Tilemannus* p. 151-156.



agnosceret in ecclesia abusus, e medio tolleret. *Mauritius* igitur a *Casparo Crucigero* Melanchthonia sive *Cryptocalviniana* doctrina imbuto institutus odioque, quod haereditarium quasi a patre acceperat, in concordiae formulam et in dogma de omnipraesentia Christi hominis ductus, in Genevensium, quos iam pater magni fecerat, doctrinam propensior erat 53). Lutheranos et reformatos in capite rei haud dissentire iudicabat, concordiamque facili negotio inter eos restitutum iri si modo utriusque a duris quibusdam formulis et ab acerbis mutuis criminationibus, perversa et maligna adversariorum opinionum interpretatione procreatis, abstinere vellent 54). Non mirum igitur videri potest, *Mauritium* restituendae ex sua sententia per totam Hassiam concordiae cupiditate flagrasse. At *Ludovici* patrui reverentia ductus nihil eo viveute molitus est, Hassia quidem inferiori a superiore dissidente, neque tamen utraque parte tranquillitatem turbante. *Ludovico* vero abs-

53) Non igitur opus est, ut cum *Cypriano* (Unterricht von kirchlicher Vereinigung der Protestantenten p. 263. Beylagen p. 101) animus *Mauritii* in Geneveses propensus a duobus adolescentibus nobilibus *Theodori Bezae* opera Cassellas missis repetatur.

54) *Mauritii* de Lutheranorum et Zwinglianorum controversia iudicium ad *Fridericum Wilhelnum* Ducem Saxoniae Torgae 1600. in Unschuldigen Nachrichten v. Jahr 1719. p. 772.

que liberis anno 1604 mortuo, et haereditate Marburgensi inter domum Cassellanam et Darmstadinam divisa, *Mauritius* diutius se continere non potuit, quo minus in ea, quae ditioni suae adscripta erat, provincia quae animo agitaret consilia persequetur, omnesque, qui irrepsisse ei viderentur abusus abrogaret 55). Tria itaque reformationis capita anno 1605 publice proposuit:

I. Vt noxiis et periculis de persona Christi disputationibus plane omissis omnipraesentia eius iis tantum phrasibus exprimeretur, quae ut in scholis dicunt, ad concretum non ad abstractum pertinent.

II. Vt decem Decalogi praecepta integre uti a Deo essent promulgata, docerentur, et, quae ex superstitione Pontifica superessent imagines, ex temporibus auferrentur.

III. Vt in sacra coena panis institutioni Christi consentaneus adhiberetur.

55) Historischer Bericht der neulichen Marburgischen Kirchenhaendel. Marb. 1605. Nothwendige Erzaehlung der Ursachen und Motiven, warum die zu Marburg beurlaubte Theologi und Prediger die Synodale Abscheide u. s. w. anzunemen sich billig verweigert haben. Jena 1606. Rettung und fernere Ausfuehrung der Ursachen und Motiven, warum u. s. w. Giessen 1606. — *Iaegeri historia saec XVII t. I. p. 81 seqq. Leuchter p. 304. Garthius 292 seqq. Hartmanni histor. Hass. t. II.*



Quae capita cum proponeret princeps, simul declaravit se nihil in doctrina innovare, sed eandem, quam pater et avus amplexi sint, puram fidem, profiteri et tueri velle. Quae enim de persona Christi sancita essent, plane convenire cum decretis Synodorum Treysae et Cassellis habitarum. Reliqua vero omnia ad meras caerimonias pertinere, in quibus ordinandis cuilibet principi libertas sit concessa, qua ipse eo magis uti debuerit, quo apertius ritus propositi disertis sacri codicis effatis nitantur. Neque sine exemplo et auctoritate se agere affirmavit. *Philippum* enim magnanimum abolendas esse in ecclesiis imagines edicto constituisse 56), eodemque vivente et probante anno 1539 catechismum Marburgi fuisse editum, qui decalogum integrum exhiberet 57).

In Hassia inferiori capita reformationis sine reluctatione recepta sunt, in superioris vero ea parte, quae *Mauritio* cesserat, Theologi Marburgenses Pastorumque plurimi assensum negarunt. Id agi, aiebant, illis mutationibus, ut vera et genuina doctrina evangelica abrogata, Calviniani errores introducerentur. Decretis synodalibus de persona Christi sub-

56) Hessische Landesordnungen 2 Th. p. 552. 553.

57) *Wihl. Wille Beschreibung eines merkwürdigen Hessischen Katechismus.* Hersfeld 1789.



scribere religioni sibi esse, cum ita libertas verae doctrinae defendendae arctis limitibus circumscriberetur. Ritus quidem praescriptos per se ad *adiaφορα* pertinere, magnae tamen offensioni futurum esse, si Ecclesia Hassiaca eas, quas constanter tenuisset, ceremonias, nunc temere deserat, talemque innovacionem eo minus probari posse, quod ea ad apertum Calvinismum via muniri videatur 58).

Mauritius cum Professores a sententia dimovere frustra laborasset, neque hi muneribus sponte se abdicare vellent, ipsis honeste dimissis, ut quo vellent abirent, in eorum locum alios vocavit. Gives interim Marburgenses discessum Professorum et Pastorum aegre ferentes, et religioni periculum imminere putantes, seditionem moverunt, quae vero principis auctoritate brevi sedata est. Deinde Landgravius approbationem capitum reformationis ab omnibus Pastoribus postulavit, quorum multi muneribus, quam sententia hactenus religiose servata decidere maluerunt. Ita non sine violentia atque turbis is, quem *Mauritius* animo conceperat, consensus in tota ipsius ditione stabilitus est.

Inde acerrima contentio inter Theologos Cassel-

58) Cf. scriptum nota 55 citatum: Notwendige Ausfuehrung der V-
sachen und Motiven.

Ianos et eos, quos Marburgo electos Darmstadinus Landgravius in patrocinium receptos in Academia Giessensi recenter fundata constituerat orta est. Ipsi quoque principes de successione Marburgensi summa virium contentione dimicarunt. *Ludovicus* enim testamento caverat, ne quis successorum religionem, quae Confessioni Augustanae eiusque Apologiae adversaretur, introduceret, addita comminatione, ut is qui tale quid ausurus sit totius haereditatis iacturam ficeret. Qua ratione aliisque argumentis usi, etsi reclamante *Mauritio*, id impetrarunt Darmstadini, ut auctoritate Imperatoris tota Marburgensi provincia, exclusa domo Cassellana, potirentur. Quo facto Pastores et Professores a Mauritio constituti, muniberibus privati et ritus olim mutati restituti sunt. Ipsa domus Cassellana duris certe conditionibus Marburgensi successione renunciare coacta est. Mox vero a Suecis, quibuscum foedus inierat, adiuta, repetere amissa coepit, et tandem pace *Westphalica* confirmata partem haereditatis recuperavit, ea tamen lege, ut, quamvis reformatis religionis exercitium concedendi libertas principibus concessa sit, ecclesiae Lutheranae forma et ratio, uti in provincia Marburgensi constituta esset, salva maneret. Ita demum diuturna controversia *Mauritii* fervore concitata, aegre composita est.



Quae vero ad *Mauritii* mentem reformata fuit Ecclesia Hassiaca semper professa est, se ab antiqua fidei formula per *Philippum magnanimum* instituta neque recessisse neque recessuram esse. *Confessionem Augustanam* eiusque *Apologiam* solas in libris symbolicis habet. Falluntur enim ii scriptores, qui ut verbi causa *Teuthornius* 59), *Synodi Dordracenae* auctoritatem in Hassia valere affirmarunt. Miserat quidem Mauritius, ordinibus Belgicis invitantibus *Georgium Cruicorum*, *Paulum Steinium*, *Danielem Angelocratorem* et *Rudolphum Goclenium*, qui Synodo interessent. Ii viri, etsi interdum minus sibi placere *Contraremonstrantium* fervorem significant, condemnationem *Arminianorum* satis praecipitanter et inique pronunciatam, totaque Synodi acta subscriptione sua approbarunt. Neque tamen unquam acta Dordracena in Hassia promulgata, nunquam ad normae doctrinalis dignitatem evecta, neque Professores et Pastores, ut ea in docendo sequerentur, obligati sunt. Caussa, cur illius Synodi actis a Mauritio nulla tributa sit auctoritas non liquet. Forsan illi, ea qua Arminiani oppressi sunt, acerbitas, displicuit. Forsan et reipublicae Germanicae quae tum erat ratio eum retinuit, ne Dordracenae synodi

59) Geschichte der Hessen tom. IX. p. 760.

decretis publicandis, qua iam premebantur reformati, invidiam augeret, et Imperatori, alias sibi infenso, novam sui opprimendi occasionem praeberet. Quomodo cunque vero illa res se habeat, sane constat, ecclesiam in Hassia reformatam libros symbolicos praeter Augustanam confessionem eiusque Apologiam nunquam agnovisse.

Tristis est et acerbus, qui mihi haec scribendi occasionem dedit, casus. *Philippus enim Fridericus Weis*, Iurisscientiae Doctor et Professor ordinarius, *Proreector* in hunc annum constitutus, vir praeclara eruditione, morum integritate et probitate conspicuus, praelectionibus ad erudiendas discipulorum mentes aptissimis de re publica nostra literaria optime meritus, literis, Academiae, collegis, discipulis, coniugi et liberis praematura morte ereptus est. Cui si longior vita concessa fuisset, profecto commentatione doctrinae solidae apparatu instructa muneris abdicationem ornasset. Is enim erat qui etsi pauca in lucem edidisset, plurima tamen in promptu haberet digna, quae cum orbe eruditio communicarentur. Verum ita fata voluerunt, ut quae animo volvisset ad illustrandam fontium Jurisscientiae Romanae Historiam consilia, ad exitum perducere non posset.

E



Cui igitur successori exoptatissimo Academiam moderandam anno elapso tradideram, in eius vicem nunc subire debui, ut novi Prorectoris inaugurationem indicerem.

Cum mos a maioribus religiose observatus sit, ut Prorector, quo huc usque functus sit, muneri enarratione fatorum, quae Academiae per annum elapsum obtigerunt, finem imponat, egregie laetor, me plura recensere posse, quae larga felicitatis publicae incrementa promittant. Primum enim animo obversatur Regis Augustissimi HIERONYMI NAPOLEONIS insignis clementia. Cuius enim bello claruit virtus, eius et in tuendis et fovendis literis enitet sapientia. Totam institutionis publicae curam Viro illustrissimo commisit, inter Historiarum scriptores Germaniae facile principi, a quo, quidquid ad augendas et iuvandas scientias conducere possit, iure exspectatur. Neque alia desunt gratiae regiae in Academiam nostram documenta. Nam haud modo conservata est integra, sed et quae celebris *Hauffii* discessu vacabat, Professoris Matheseos provincia, *Ioanni Gundlachio*, qui idem munus Cassellis obierat, demandata aliorumque quorundam Professorum stipendia aucta sunt. Praeterea instrumentorum physicorum et chemicorum apparatus, quo Academia



utebatur, nova et insigni accessione locupletatus est. Spes igitur quid? quod fiducia nos tenet, Academiam nostram sub regis munificentissimi et indulgentissimi auspiciis non salvam tantum fore sed et novis scientiarum praesidiis instructum et auctum iri.

E Professorum numero nemo praeter illustrem *Weissium*, cuius iacturam iam lugens memoravi, vita defunctus est. Tria vero commilitonum carissimorum optimaeque spei iuvenum vidimus efferri funera, *Francisci Riess Veckenhaga Hassi*, *Maximiliani Riess Marburgensis* et *Georgii Strube Corbaco Waldeccensis*.

Instat Calendis Ianuarii novi Prorectoris *Ferdinandi Wurzeri*, scientiae Medicae Professoris, inauguratio, quam ut praesentia sua ornare velint illustrissimus provinciae Werranae *Praefectus*, omnes qui in administranda re publica locum occupant, deinde Academiae Patres et Cives, neque non omnes qui literas amant, ea qua par est observantia et humanitate rogo. Dabam Marburgi die xxvi Decembris anno ccccviii.



und am Ende der zweiten Regierungsjahr, und auch
 die Abreise nach Rom und Florenz. Und so ist es
 nicht zu verwundern, dass das Interesse an der
 so jenseitigen und ungewöhnlichen Kultur
 in den ersten Jahren der Regierung sehr groß war.
 Aber bald wurde die Aufmerksamkeit auf andere
 Dinge gelenkt, und die alte Freude über die
 schönen Werke der Antike und Renaissance verlor
 sich. Es kam eine gewisse Verachtung für die
 alten Meister, und man begann, sie als einfachen
 und unbedeutenden zu betrachten.

In diesem Kreis von Kritikern standen
 auch die beiden Brüder Schadow, Johann
 Christian Schadow und sein Bruder, Carl
 Christian Schadow. Der eine war ein Maler,
 der andere ein Bildhauer. Beide waren
 sehr geschickt und berühmt. Sie schufen
 viele schöne Werke, die in ganz Europa
 geschätzt wurden. Aber sie waren auch
 sehr streng und kritisch. Sie sahen
 nur die Fehler und Mängel in den
 alten Meistern und vergaßen die
 schönen Seiten.



1743
D Sc 452



